



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXI. Gregorii Papae I. Ad Romanvm Patricivm Et Exarchvm  
Italiae. De obitu Laurentii, & consecratione Constantii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA XXX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM SVBDIACONVM.

De electione &amp; consecratione Constantii.

*Gregorius Ioanni subdiacono.*

QVANTO apostolica sedes, Deo auctore, cunctis præ-  
lata constat ecclesiis, tanto inter multiplices curas  
& illa nos valde sollicitat, vbi ad consecrandum antistitem  
nostrum expectatur arbitrium. Defuncto igitur Lauren-  
tio ecclesiæ Mediolanensis episcopo, sua nobis relatione  
clerus innotuit, in electione se filii nostri Constantii dia-  
coni sui vnanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non  
fuit subscripta relatio, ne quid quod ad cautelam pertinet  
omittamus, huius idcirco præcepti auctoritate suffultum,  
Genuam te proficisci necesse est. Et quia multi illic Me-  
diolanensium coacti barbarica feritate consistunt, eorum  
te voluntates oportet, eis conuocatis, in commune per-  
scrutari. Et si nulla eos diuersitas ab electionis vnitatem dif-  
terminat, si quidem in prædicto filio nostro Constantio  
omnium voluntates atque consensum perdurare cogno-  
scis, tunc eum a propriis episcopis, sicut antiquitatis mos  
exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante & auxi-  
liante Domino, facias consecrari; quatenus huiusmodi  
seruata consuetudine, & apostolica sedes proprium vigo-  
rem retineat, & a se concessa aliis iura non minuat.

Grat. dist.  
63. cap. 10.  
Ioan. diac.  
libro 4.  
Anf. lib. 2.  
cap. 26.  
Polyc. lib. 1.  
tit. 5.

## EPISTOLA XXXI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ROMANVM PATRICIVM ET EXARCHVM ITALIÆ.

De obitu Laurentii, &amp; consecratione Constantii.

*Gregorius Romano patricio & exarcho Italiæ.*

OBITVM Laurentii ecclesiæ Mediolanensis episcopi  
excellentiæ vestram iam credimus cognouisse: &  
quia quantum ex cleri relatione didicimus, in Constantio  
filio nostro diacono eiusdem ecclesiæ omnium consistit  
electio, necesse fuit pro seruanda consuetudine militem  
ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum, in quo omnium volun-

tates atque consensum concorditer conuenire cognouerit, a suis episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari. Proinde paterna dilectione persoluentes debitum salutationis officium, quæsumus, vt prædicto Constantio, seu fuerit consecratus episcopus, necne, excellentia vestra, vbi necesse fuerit, suum dignetur impendere, iustitia fauente, solatium; quatenus hæc vos merces, & hic apud inimicos vestros exaltet, & in futura vos vita apud Deum præuenienter commendet. Meus est enim proprius, olimque mihi magna fuit familiaritate coniunctus. Et vos, quos nostros cognoscitis, habere vt vestros, & peculiariter diligere debetis.

## EPISTOLA XXXII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD HONORATVM ARCHIDIACONVM  
SALONITANVM.

De absolute Honorati.

*Gregorius Honorato archidiacono Salonitano.*

Ioan. diac.  
lib. 3. cap. 9.

**D**VDDVM quidem decessoris nostri nostraque præceptio ad dilectionem tuam cucurrerat, in qua & de obiectionibus tibi calumniose capitulis fueras absolutus, & in tui gradus ordinem sine aliqua te institutum altercatione restitui. Sed quia rursus ante non multum temporis spatium, ad Romanam ciuitatem veniens, de aliquibus illic actis incongrue, & de sacrorum es conquestus alienatione vasorum; atque dum pro hac re, quæ tuis obiectionibus respondere potuissent, sustineremus in hac ciuitate personas, Natalis episcopus tuus de hac luce migravit; necessarium iudicauimus easdem præceptiones, tam decessoris nostri quam nostras, quas dudum, vt dictum est, pro tua absolute transmisiimus, præsentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrem a cunctis tibi obiectionibus capitulis te plenius absoluentes, in tui te ordinis gradu sine aliqua volumus \* altercatione permanere, vt nihil tibi penitus mota a præfato viro quæstio qualibet occasione præiudicet. De his autem capitulis, de quibus conquestus es, Antonino subdiacono, & rectori illic patrimonii sanctæ, cui Deo